SENSUS VERBI ÆTERNI, D. THOMAS AQVINAS, DOCTOR ANGELICUS,

Recurrente annuâ ſuæ Feſtivitatis die,
In Auguſtâ SS. TRINITATIS Baſilica
Ordinis Prædicatorum
Celeberrimi Conventûs Cracovienſis,
Oratorio cultu

À

M. FLORIANO ANTONIO
LACHOWICZ,
Philoſophiæ Doctore, in Collegio Novodvorſciano Rhetorices Profeſſore, Contubernij Hieroſolymitani Seniore,

OBSERVATUS.

Annô, quô
Mens Dè ConCepto Verbo Ver neXVIt orbI
Die 7. Martij.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.


Aurea sub Cælo fluminis acta sonant
Jam nihil hoc fluviô dulcius Orbis habet.
Hæc ipsis Superis candida Lympha placet.
Est felix Hermus, magis est Srzeniava beatus
Qui gemmas Cælo fundit in Orbe Viros.
Rore venit Cæli, meritò sinuatur in astra;
Solus Portus Ei, celsus Olympus adest.

ILLUSTRISSIMO
AC
MAGNIFICO DOMINO
D. JOSEPHO
DE ZMIGROD
STADNICKI,
CASTELLANO LUBACZOVIENSI,

Domino ac Mecænati Amplissimo.

AD *mentem Cœli agere videor, quando* SENSUM THOMAM *cum profundissimo cultu Tibi priùs, antequam Universo explicem Orbi, propono.* ILLUSTRISSIME DOMINE *MECÆNAS. Feliciùs enim hunc* SENSUM *luci publicæ referre non possem, si Tuis carerem manibus, quibùs cultum* DEI *promoves, ut ad vota omnium Cœlos inflectas. Novam Sol Aquinaticus pateretur Eclipsim, si Illi*

 ma-

magnum Tuæ virtutis splendorem, & Serenam Magni Nominis claritatem negares. Spe votisq; elusa suis hæreret in loco Doctoris Angelici fama; si eandem Tuus Gentilitius SRZENIAWA suo non moveret cursu, & totum per Orbem coram Gentibus non portaret. Tacitus esset SENSUS THOMAS, nec ita in Religioso audiretur silentio, ni Ejus echo cum vocali FLUMINIS Tui sonitu per alienas flueret terras. Felicitas est & honor Abyssi THOMÆ, quòd in profundum Tuæ LYMPHÆ incidat, ubi altum experitur. Hostibus nonnisi in hoc FLUVIO est naufragium; verùm Sanctis Cælitibus, ac dulci Patriæ fida statio. Timendus quidem hic FLUVIUS, qui toties Cruore Barbarorum rubuit; sed nobis amandus, quòd in tanto rubore semper illum servavit Candorem, quô hactenus Polonus Orbis exornatur. De Cælo per cruentam Gradivi Arenam fluens; priùs omnium pectus, ante tot incurrit sæcula; antequàm Sarmaticos influxit Campos. Dignus hic AMNIS ex purpureis cordibus habere marginem; in quo celeritas ad largiendum, impetus ad defendendum, cursus ad obviandum. Nescit locô stare, qui ad fortunatas Insulas auream Patriæ Libertatem vehit, ac totus in Bonum commune Ejus devolvitur. Felix Ægyptus, quòd Nilum habet, qui pretiosas illi effundit Arenas; & beata est Polonia, cùm SRZENIAWAM tenet, ex quo illi vita inæstimabilis, plusquàm aurea Saturni sæcula, & omnis felicitas promanat. Divites Gangis Pactoliq; damnamus opes; FLUMEN nobis STADNICCIORUM in pretio; Cujus gemmeus fulgor in Solio Regnorum Soles illustrat, ac Eis majorem addit valorem. Quòcunq; Cælestibûs pellitur Ethesijs, ac longo sæculorum profluit tractu; ubiq; fecundæ pullulant laureæ, & copiosa gloriæ messis excrescit. Notarunt Posteritati sæcula, quot ex hujus AMNIS profluvio, felices rerum successus venerunt. Elevantur hactenus Campi Sarmatici Colles, & testantur, quòd hic FLUVIUS tempestate ferrea, quoties intonuit, toties dedit signum optatæ pacis. Quoties

ties

ties nectareas porrexit undas, toties ultimam Patriæ sitim levavit. Quoties ultra suos fines exundavit, toties Turcas, Tataros submersit, absumpsit. Unum Thetis Achillem, dùm Stygijs immersit Aquis, invulnerabilem fecit; Lucina Sarmatica quotquot Infantes hoc AMNE lavat Illustrissimo, tot ferreos in prælia Heroes habet. Nec mirum: fortes creantur fortibùs; imbelles non prodeunt ex feroci Aquila columbæ; nec ex animosis Leonibus timidi generantur cervi. DOMUS hæc fecunda Heroùm Parens, felices semper enutrivit Viros Patriæ, ad Cujus solatium non semel in Senatu Lechico, Hunc militia Camillum, Illum fortitudo Fabium; Hunc magnanimitas Alexandrum, Illum Religio Numam universo commendavit Orbi. Rem ambagibus non involvo; nec ementito colore, ut solum placeam, Illustrissimæ FAMILIÆ Imaginem depingo. Velum cortinamq; vix abijcio, apparent Nomina an potiùs Numina PETRUS & NICOLAVS SZRENIAVII ARCHIEPISCOPI Gnesnenses Legati Nati, Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ *PRIMATES primiq; PRINCIPES, quos exteræ cum stupore & invidia Gentes spectârunt. Fixos in admiratione oculos convertit in se, honore Magnus, virtute Major MARTINVS STADNICKI, Palatinus Cracoviensis, qui non sibi, sed Patriæ vixit, propter Quam nonmodò pallium, sed ipsum cor scindere paratus erat. Meruit publici Solis Aspectum IACOBVS STADNICKI, Castellanus Sanocensis cunctis Heroibùs Major, raruśq; talis in Arena Martiali Viator, Qui fidelis semper cataphractæ sequax fuit Bellonæ. Hic virtutis heroicæ prodigium fecit; dùm cum Cruciferis fortissimè pugnando, sine passione alter Codrus liberè pro Patria obijt. Inscripsit calamus Fastis perennibus MARCUM STADNICKI, Castellanum Sandecensem, Qui in facie Procerum Regni, quot nodos sors adversa objecit, tot mentis acumine rupit, vimq; solvit malorum. NICOLAVM ET IACOBVM STADNICKI, dum humilibùs non possum verbîs, altô veneror silentiô: sed primum*

Literæ CASIMIRI in Conventione Opatoviensi datæ meminerunt; Alterum VLADISLAI Regis manus commendavit; cui ad bonum publicum nato, Bona in Districtu Becensi porrexit. STANISLAVS STADNICKI Rothmagister, Quem MARCVS ex BARBARA ZBOROWSKA Castellani Crac: Filia reliquit, pridem jacet in umbris fatalib9, sed non latet, prodit Eum armorũ fulgor, & ob invictum animi robur Decium sub Rege STEPHANO nominatum demonstrat. In Moschovia contra Tataros sub IANVSSIO Duce in Zbaraż Palatino Braclaviensi, & in varijs expeditionibus Moschoviticis & Vngaricis sub AGERO & BERINO igneum ferens pectus, primus semper ad arma, tantum effecit, quantum voluit Patria fatiscens. Sed ne tandem à Casibus erectam ferirent ruinæ, fortissimos Alcidas, veros sui Nominis & virtutis ex asse Heredes, MARTINVM, IOANNEM, SAMVELEM & ANDREAM Filios secuturæ Ætati dedit. Attollunt Caput Nationes & Illustrissimam STADNICCIORVM DOMVM ex solis galeis, clipeis compositam, Martialiq; spiritu animatam, dùm mirantur; quærunt, quid sit? sed immortales loqvuntur Fasti, ac toties prostrata adversitas hianti vulnere clamat, est malleus & bipennis hostium, murus & antemurale Patriæ. Non silet publica fama ADAMVM STADNICKI Palatinum Belzensem, Qui, dùm Orator SIGISMVNDI III. non tam factus quàm natus, gemmea verba in Moschovia locutus fuit, demonstravit jaculis, ex Arbore Consangvinitatis STADNICCIANÆ facundos nasci Mercurios. Dulcis est MAIORVM Tuorum recordatio ILLVSTRISSIME DOMINE, Qui plus fecerunt, quàm Oratores scribere & grata Posteritas legere potest. Sed hi felices Tui SRZENIAVÆ Partus, conceptum ingenij mei excedunt, Ejusq; alta vastitas margine unius folij arctari nequit. Si totum STADNICCIORVM Syllabum recensere vellem, Archimedis calculô opus esse putarem, totamq; Orbis Sarmatici mo-

lem

lem deberem movere, quod imbecillitati meæ non tantùm facere, sed etiam cogitare arduum est. Non suscito Heroicos PROAVORUM, ATAVORUMq; spiritus, quiescant feliciter, Quos labores & merita fatigarunt. Illos nonnisi veneror cum profunda submissione Viros, Quos recentius sæculum adoravit. Belli fulmen, Gentisq; Polonæ gloriam enarro ILLUSTRISSIMUM ac MAGNIFICUM DOMINUM VICTORINUM STADNICKI, Castellanum Premysliensem, Parentem Tuum dilectissimum; Qui contra Hostes Patriæ per stratam acutis ensibus viam, per mille discrimina rerum, giganteo passu non ivit, sed semper volavit. Hector invictô animô, Priamus sanô consiliô, tantum vixit; quantum ad immortalem sui Nominis famam satis esset. Illustrissimam magni Generis, quia TOMISŁAVIANI, magnarum Familiarum Sangvine junctam. GENITRICEM Tuam, veriorem in Orbe Polono Corneliam non taceo: Quam si fatali obrutam lapide verba non disserunt, loquuntur silentia; si lumina oratoria occultant, sed sub mortali cinere virtutum nitor manifestat. Iam quidem vitam exuit, sed eandem in animo cordeq; Tuo deposuit. Auget gloriam, ac ingens æstimationis pondus Illustrissimæ Familiæ addit PATRUUS TUUS Subdapifer, Betzensis, Qui præter suæ virtutis ornamentum duos flores POCILLATOREM Latyczoviensem & SUBDAPIFERUM Betzensem suæ vitæ & honoris Successorem Campis Sarmaticis adjunxit. Fratres Tui germani, Viri omni ævo memorandi, IOANNES Palatinus Volchiniæ & ANTONIUS Pocillator Betzensis; quorum alter arte & Marte defendebat Patriam; alter ut illustrius Nomen redderet, æmulo Ulyssis passu exoticos adijt soles, quibus plùs addidit lucis, quàm accepit. Princeps virtutum PETRUS STADNICKI Castellanus Sandecensis convenit gloriosè in unam sangvinis Lineam, quam solide firmat ne sublimis ejus moles ruinæ subjaceat. Non quæro magni Senatoris opus & magnificentiam, quia publico Soli patet,

tei: quidquid gerit Reipublicæ gloria, Familiæ solatium & ornamentum est. Vbivis locorum ac terrarum Spectator talis Mecænatis stupor, dum quòcunq; passu gravi procedit, sequuntur Illum vota Clientum, quos non tantùm liberali manu tenet, ne cadant, sed ut faciliùs per vastos rerum anhelitus eluctentur ad sublimia, levat, promovet. Hæc singularis Petri potestas ac felicitas est, quòd ad nutum Ejus alijs fortuna favet, alios honor petit. Vnde ab omnibus diligitur, ab omnibus æstimatur, in quo omnia spectamus, quæ in maximis Viris attoniti miramur. Iuvenescit velut alter Phænix in posteritatis memoria suo Nomine Magnus ORZECHOWSKI CASTELLANVS PREMYSLIENSIS *advitalitius Tuæ germanæ Sororis Socius, Quem pietas singularis, magnitudo animi, meritorum amplitudo ad immortalitatem deduxit. Hæc Illustrissima Domus Tuæ Decora, Tu solus coronas* ILLVSTRISSIME DOMINE, *dùm quidquid geris, est magnificum, est Orbis admiratio, est Coronâ dignum. Illustrissimas* MAIORVM *Ceras illustriores fecisti, dum illis Tuas dotes adjecisti, quales cælitùs raro mortalibus conceduntur. Anni ad Te venerunt non virtus & fortuna; Qui simul & Infans, & virtuosus, & felix in Orbem prodijsti. Adhuc in cunis fuisti, jam Te delicium Regum, jam Herculem Patria præscivit. Florentem Tui ætatem, explicato in mille gratias favore,* IOANNES III, *Rex Poloniarum ad se traxit, Teq; ad arcana sui pectoris admisit, & per aliquot annos cum dulci mentis suæ oblectamento tenuit. Hîc Tibi Superi, hic fortuna favit; cùm* Tantum *Regem, Quantum adversa non frangebant, sed firmabant, ad Te inclinasti; cùm* Terror *Gentium Te ex Gentibus Vnum, Quem Bellonâ magis, quàm Lucinâ enutritum esse censebat, suo prosecutus affectu. Placuit Regi Tua magnanimitas & constantia, ideo Te constantem sub* CONSTANTINO *suo Filio Vexilliferum elegit. Stupor erat temporis, quandò sub Tuum Vexillum parte ab adversa felices rerum concurrebant successus, ibant triumphi,*

umphi,

umphi serpebant laureæ, & quoties cum exercitu contra Hostem procedebas, toties in Capitolium ire videbaris. Inter Martiales fumos ita eminuisti; ut non Tu de honoribus quos mereri, non habere voluisti; sed de Te honores certarent. Multos dignitas ob nimium despexit ambitum, sed Te hæc, quam fugiebas, secuta est. Stimulavit Te concordibûs votis Palatinatus Belzensis, ut Iudex Deputatus ad Tribunal Regni fieres, cui renuere non potuisti, boni communis ratione victus. Defuit tunc Aristides Zelosissimus æquitatis Assertor, Tu in Ejus locum successisti; qui quot verba, tot Oracula pro sacra Themide fundebas. Adfuisti præsidium virtuti, metus sceleri; non Te privata, sed publica movebant vota. Laudabilis hæc circa Patriam cura, ad Curulem Te invitavit; in qua quomodò Senatorem agis, ut fideliter describat, non unam paginam, sed volumina calamus requirit. In hoc dignitatis fastigio, quot Tua sunt facta, tot Tibi lingvæ in encomium parantur. Grande scelus esset Te obmutescere, Quem profunda humilitas sub astra extollit, & quem fama publica non Soli Poloniæ, non soli Europæ, sed toti Mundo ad exemplum porrigit. Si verò Te innata modestia celare vellet; sed liberalis manus, quâ paupertati Religionum, cunctisq; egenis beneficia spargis, non numeras, indigitabit; sed Zelus Divini cultus, fides intemerata, Civium amor & populorum affectus dicet. Undiq; Te Tua felicitas circumstat, ubiq; Tui Magni Nominis æstimatio augetur, & hinc singularis assurgit gloria; cùm talem habes Sociam vitæ, ex Illustrissima MAKOWIECCIORUM Domo SOPHIAM, *Qualem alijs vix sæcula dabunt. Et certè Hanc* Tuam *Illustrissimam Consortem, Minervam ex Iovis cerebro natam esse censerem; ni Filiam* Capitanei Trebovliensis *scirem; in Qua ingenij acumen, vis industriæ, mentis dexteritas supra sexum, supra hominem. Commendet Genus Iunonem, species Pulcheriam, verecundia Artemisiam, morum elegantia Venusi-*

 nusi-

nusinam; *Hæc, quæ divisa beatas efficiunt, collecta tenet; Cui dotes Pandora Cælestes deposuit, suis exuta donis. Hac suæ felicitatis varietate* Te Tuamq; *Illustrissimam Domum recreat, sed magis gemmea Prole delectat, Quam ex* Te *aureo Patre concepit, & in lucem feliciter effudit. Non recenseo Filiam* CATHARINAM, *Quam* IOANNI REY Capitaneidæ Libuscensi *Viro probitate pleno, eruditione conspicuo, dexteritate fortissimo desponsavit Cælum. Virtutes Ejus quæ, qnanta ve sint, si non brevi Calamô, saltim mente latiori metiri vellem, sed altiores sunt, quàm attingi possunt.* FRANCISCVM & IOANNEM *Filios præterire non possum, Quos ad magna natos, crescens cum annis virtus demonstrat. Vterq; veram magni Patris Imaginem præfert; cùm in Vtriusq; gestu Constantia, in fronte generositas, in vultu majestas, in corde pietas, in tenera ætate judicij maturitas relucet. Hæc Tui cordis Delicia, Regina animorum Eloquentia, non frustra in erudito fovet sinu, Cujus majestatem Flore Iuventutis suæ adornant. Felix illa hora ac ingens Almæ Matri nostræ solatium accessit; cùm feliciter Hi* Illustrissimi SRZENIAVÆ *uniones ad Regia sceptra accesserunt, quos spectare inter amaros labores, dulcis est recreatio. Quam gloriosum! dùm concordes Fratres quotidiè contendunt, Vnus alteri in campo Tulliano herbam non porrigit, ut quisq; suam palmam habeat. Crescit indies altiùs ac latiùs* Tuæ *Consangvinitatis Arbor* ILLVSTRISSIME DOMINE MECÆNAS, *quæ totum Sarmatiæ Campum occupare videtur. Aureos esse hujus Arboris fructus, præter mille alios, ex nonnullis cognosco. Eminet pulchrè* IOSEPHVS SIERAKOWSKI, Zytomiriensis & Olszanensis *CAPITANEVS, CASTELLANI Belzensis Filius, Cujus excelsas dotes non enumero, quæ Computum excedunt. Fulget decenter* IOANNES ROSTWOROWSKI *Capitaneus Czyrscensis, Vexilliferi*

Livo-

Livonensis dulce solamen; Cujus vitam gloriosæ actiones quotidie illustrant. Lucet bono publico convenienter IOSEPHVS LIPSKI THESAURARIUS *Belzensis, non vana Magni Parentis* DAPIFERI BEŁZENSIS *gloria, verior Hortensius, Qui in Sarmaticum Campum, quoties ex ore suo rosas fundit, toties ex illis spinas adversitas, coronam Patria colligit. Prudentiâ Consus, dexteritate Achilles, in totam clarescit Poloniam; imò toties pridem universo innotuit Orbi* MICHAEL SOŁTYK, VENATOR Sendomiriensis, *quoties Gentilitiam Ejus Aquilam cum acuto ense, quem heroica coronavit virtus, Thronus Moschoviticus portavit. Non humanos sed Angelicos in* MICHAELE *actus quis non stupet? dum gladiô districtô pro Aris & focis continuò & constanter decertat. Hunc felicem Terra Lechica Ducẽ* MICHAELEM *habet; quem Cælestes Gratiæ, communis amor, & magni honores sequuntur. Magnitudo Tua* Illustrissimæ Domûs *nonne satis ampla? in qua cum stupore Gentium ac Tua gloria* LUBOMIRSCII, LESZCZYNII, SAPIECHÆ, KMITÆ, LUBIENII, OSOLENSCII, OSTROROGII, BALOVII, ZBOROWSCII, TARNAWSCII, RUDZCII, TOMISŁAVII, RADECCIJ, UBYSZOVII, PEPŁOWSCIJ, *& alij plurimi spectantur; Qui supra calamum elevati laudis fastigium superant. His* ILLVSTRISSIMÆ DOMVS *Tuæ Capitibus, imò soli Tuo Capiti, cùm sit magnum omnium Compendium,* SENSVM THOMAM *inflecto. Porrigo Solem Scientiarum Illustrissimo honori; fero Angelicum Doctorem humanissimæ Sapientiæ; depono Abyssum Tuæ magnitudini. Extende igitur immersas pietati manus, suscipe* THOMAM; *Quem si removeres,* SENSVS *est Divinus, confunderetur. Essent feliciores illi; Qui sua* THOMÆ *ingenia substraverunt. Admisit Honorius Claudianum, æstimavit Alexander Homerum, appretiavit Augustus Horatium,*

 Prin-

Princeps eruditorum cùm Te quærit Mecænatem; favebunt Superi, virtusq́, Tua, quòd Te inveniet. Quàm pulchrum erit! cùm Doctorem Angelicum Tuô Nomine coronabis: quàm beatum! cùm Sol Thomisticus splendorem ILLVSTRISSIMÆ TVÆ DOMVS *suô lumine circumfundet. Spargetur in Orbem* THOMAS, *sed quisquis sparsum avida manu prehendet, Te animô complectetur; quisquis Eum leget, Tuum Nomen prius adorabit. Quare serenâ Fronte hunc admitte SENSVM; Qui Tibi VERBO ÆTERNO semper felices omnigenæ prosperitatis eventus, longos sine nube dies, ipsumq́, Tuis votis Cælum declarabit. Quod ita precatur*

ILLUSTRISSIMI NOMINIS &
HONORIS TUI

Devinctissimus Cliens & servus,
Author Operis.

ORATIO.

REdit Sol Aquinaticus, ad cujus effusam lucem, an altum Memnonis silentium loqui? an demissa Oratoris eloquentia silere debeat? vestrum date judicium. A. A. Tempus etenim veneranda senij gravitate, mutos etiam Tacitos perorare jubet; sed dies Passionis manu ferrea lingvam compescit. Amor Philadelphicus invitat ad vocalem loci hujus suggestū; sed immane crudelitatis satellitium arcet, quô DEUS HOMO è vita sua eliminatur. Svadet Angelica Thomistarum doctrina svadæ; ut cum Oratorio impetu audentiùs accedat; sed

rupium dissilentium fragor, & confusa rerũ Idæa deterret. Gentilitius Dominicanæ Religionis Catulus, Rhetoricis gradationibus suâ face prælucet; sed in ambiguo sistunt, ne illis cespitare contingat, ubi Lux Mundi extincta, & Via malè calcata. Illustres hujus Conventûs umbræ lumina Oratorum accendunt, & securũ dictionis tractum pollicentur; sed pericula SOL Justitiæ portendit, qvi obscuratur, & Dux Exercituũ infelicem præsagit successum, qui captivatur. Sacer Prædicatorum Ordo, lingvam in festivas disponit voces; sed timenda confusio, cùm Verbũ Æternum, quô loquuntur omnia, obmutescit. Cygneus Magnorum Patrum Cætus, eruditas subministrat pennas; ut imbellis facundia per Abyssum eluctetur in altũ; sed eluctandumne? dum gravis præstô casus adest; ubi MATER DEI pressa doloribûs langvescit. Augent fontes Tullianos Lymphæ Aquinaticæ, ut ex illis sumatur dicendi exordium; sed eosdem Mare gratiarum magnâ lacrymarum tempestate inundans, absorbet. Atlas Christiani Orbis Dominicana

Reli-

Religio, humile dicendi genus in ſummũ attollit; ſed fatiſcens ſub pondere Crucis Fortitudo in ruinã trahit. Porrigunt Roſariani Cultores purpureas Hortenſiorum roſas; ſed an debeant acceptari? ubi REX Regum acutîs coronatur ſpinîs, qui Beatos coronat. Suprema in terris Poteſtas ſolvit tacentem animũ, ac prolixam Orationis amplificationem facit, ſed protenſi funes, qui Columnæ Libertatẽ alligant, coarctant. Primũ Eccleſiæ Romanæ Caput novos addit Oratoribus cõceptus; ſed eoſdẽ virgæ excutiunt, quibûs Innocentia cæditur, cõvellitur. BENEDICTVS de hoc terreſtrium Angelorum Ordine, benedicit Reginæ animorũ Eloqventiæ, ut in venerationem & laudes THOMÆ feliciùs excurrat; ſed inſana crudelitas montem Calvariæ opponit, & maledicta non concedit cohors, quæ in Æternam ſævit Veritatẽ. Ipſe THOMAS nec ſibi deeſſe videtur, dum nutu Capitũ, ac ſuæ doctrinæ Articulîs, ornatos verbîs vocat ad ſe Tullios; ſed comitatus latronum, qui Æternã Sapientiã excelsâ ſpoliat gloriâ, timore percellit. Adſum & ego im-

 bellis

bellis Orator, ſed ânceps dubiusq; hæreo, imò cum ſtupore in diverſa rapior, & quid agendum? penitus ignoro. Hinc ſpes arridet, illinc ſortis ludibria eludunt. Hinc aditus patet, illinc hiantes Chriſti puncturæ viam claudunt. Hinc Feſtivitas hilaris vocat; illinc luctuoſum in Orbe ſpectaculum, & Lætitia cohibet, quam mæror confundit. Hinc affectus pietatis cultor vehementer impellit, illinc odium, quô Amor Incarnatus cõtemnitur, avertit. Auſus nititur ore diſerto, elogium THOMÆ eloqui; ſed metus Angelicũ Doctorem ſilentiô venerari cupit. Verùm quid dubius in undis Aquinaticis fluctuabit animus? quid ampliùs trepidabit in metu lingva? audendũ eſt. Impetus furoris, cùm Firmamentũ Cæli agitat, Parentem rerũ Terrã movet, ne ſub roſa teneat Abyſſum THOMAM. DEVS HOMO in Horto Gethſemanico largum effundit ſudorem, ut fluidum ſermonem Oratoribus inſtillet. PRINCEPS Pacis ſangvinolentam induit Purpuram, ut ruborem tegat, & incultum adornet ſtylum. Pungentes ſpinarum aculei, red-

dunt

dunt ingenij acumen, & Lapis Angularis in basim cedit. Non verentur casum, tolluntur alacriùs Oratorij gestus, ut Nomen THOMÆ portent, dum expansîs CHRISTI manibûs fulciuntur. Recolenda SALVATORIS Passio recentem cogitationem ac vocem activâ de THOMA haberi permittit. Faciliùs membra membris copulantur, & ex illis rotundæ periodi consùrgunt, quæ catenîs à collo Domini fluentibûs constringuntur. Crux Divina imbellem svadam animat, mentemq; incitat spiritus; quem cum clamore validoFilius Patri Æterno comendavit. Et jam licèt intra jejunales Quadragesimæ dies, durum est abstinere à lætitia, triumpho, & venustâ dicendi copiâ. Si VERBVM Æternum silet; ideo: ut Doctor Ejus THOMAS, seu potiùs, ut Ejus SENSVS, à quo pendet Sapientia Orbis, audiatur. Ergo jam nominatus THOMAS SENSVS VERBI ÆTERNI, quem imbelli argumentô, si non confirmabit, saltim lingva mea titubando dicet. Referet Te humilis Eloquentia SENSVM VERBI Æterni luci publicæ D. THOMA, si er-

rare obvenerit, mentem Tuô illuſtra Phæbô. Vos attentas concedite aures, facilè unius VERBI SENSVS intelligetur.

Licèt in ſerena verſamur luce homines, profundis tamen Orbis involuti tenebris, ſpontè cæcutimus; dum aliò Phâëtontea mente ferimur, non quò feliciùs DEUS nos & fortuna vocat. A. A. Summus quidem rerũ Opifex, ſplendentem in firmamento Cæli Phæbum, & argenteam appendit Lunam, ut ſine errore mentem Ejus ſequamur; ſed infelices hujus Mundi ſumus comites, qui ſplendidâ ornatos miſeriâ ad mille caſus educit. Novimus in malo malum, adhuc tamen in vetitum nefas tendimus. Semel ex Arbore Paradiſi in vitia delapſi, hactenus indolemus; tamen petimus eadem, nec ruinam intuemur, vel ſi advertimus, non revocamus gradũ perituri. Quotidie ſuo motu Cælum, & fulgentibûs aſtrîs inclinat nos ad virtutem; ſed mole fallacis Mundi faciliùs inflexi, ſcelus ſequimur. Sapientia Æterna quotquot in ſcientia boni & mali deſipuimus, docet; ut artẽ ſerpentis, quâ eluſi ſumus, evitemus,

mus; nos eidem ſtudemus, ut eludamur. Author Vitæ non vult mortem hominis, nos ſine humanitate homines, & mores noſtros,& vitam corrumpimus. Princeps Pacis durum Martis iniqui aſpectum odit, nos ad eundem adhuc pueri per ſcuta ſerpimus, & pro crepundijs acutos enſes, quibûs plorantes lædimur, ſubridentes exploramus. Lux Mundi tollit tenebras, quæ erant ſuper faciem abyſſi; nos infelices more talparũ Lucem Æternam deſpiciendo, per viſcera terræ, profundis Averni umbris admovemur. Vnio Hypoſtatica unionẽ firmat inter Regna, ne deſolentur diviſa; nos ſcindimur in contraria & in prædamStygij hoſtis diſſolvimur; ut cum gemitu æterno coarctemur.Fons Viventiũ notã Mundi,quam diluvium non potuit delere, abſtergit; nos eandem veſtigiô Infantes, quô necdum Mundum terimus, renovamus, ac tam labe turpi contaminamur. DVX ſalutis non viâ lacteâ, ſed tramite ſangvineo dirigit nos ad ſtellatam Patriam; omnes tamen velut rupes Marpeſſia imoti ſumus. Agnus Cæleſtis leni paſſu excitat in no-

bis manſvetudinē, nos in furorem verſi, ad ferinam rabiem, quâ ipſi conſumimur, inflam̄amur. Sanè: quô pungimur, id ambitioſi petimus; amara nobis Mundi dulcedo placet, ad motum Cæli non movemur, ad DEUM non inclinamur, ad CREATOREM creaturæ non referimur. Ad molles Mundi delicias, quibûs prem̄imur, o quantus appetitus! ad hæc, quanta DEUS præparavit diligentibus ſe, nulla ſitis. Factū eſt ſub Sole publico, & fieri ſolet cū alijs, quod dixi, ſed non cū Doctore Angelico THOMA; qui omnes Senſus ad mentem VERBI Æterni ita compoſuit; ut ex omnibus unus, ex humanis Divinus efficeretur SENSUS. Inter errores Mundi vitam ducendo, nunquam erravit, ſemper ſe totū illuc convertit, non quò fragilitas intendit, ſed quò VERBVM Æterni PATRIS vocavit. Nondū in tempore fuit, jam à nutu & arbitrio DEI pendens, ſuſpenſam in admiratione æternitatem fecit. Dicat Veritas, quæ nec falli, nec fallere poteſt; nonne THOMAS naturæ prodigium erat? quem necdum vidit, & jam illi theatrū Orbis plauſit, Arena Litera-

teraria feſtivè acclamavit, & Beatum cun-ćti ſtupuerunt. Angelum in utero Matris crederem, ni THOMAM SENSVM DEI, quia VERBI dicerem; cujus actiones menti Divinæ conformes erant. Necdũ corpus induit, & jam umbrâ corporis Matrem terram ornavit & illuſtravit. Necdum in lacrymarum valle ſtetit, cùm veſtigia figere non poſſet; & jam cum Orbis ſolatio miracula impreſſit. Necdũ infantili manu tetigit Mundum; & jam ultra effuſos Mundi fines, vaſtitatem ingenij porrexit. Adhuc in Mari Aquinatico latuit; & jam ſe Vnionem Doctorũ, Lycæis, Academis, Peripatis monſtravit. Adhuc cum prima voce extra nemoroſam tellurem ſiluit; & jam Ejus echo in Eremo audita. Eſt quidem opus ſtupendum, quòd THOMAS viſus, & hæc egerit, antequam naſceretur, ſed non mirandum eſt. In luco ſublimi nemorumq; receſſu, Bonus Anachoreta advertit; quod ſolatium ingemiſcens Mater utero geſtaret, & ſpem certã, quæ in herba fuit, ore diſerto Orbi prædixit: quia ex Virga illuſtri Arbor excelſa naſcetur. Tantæ prædicti-

onis auguria eventus coronat: cùm ex bonis Boni Eremitæ præmissis, & ex vivæ vocis oraculo, vera sequitur SENSVS Divini, idest THOMÆ in Mundū illatio. Vix Theodora cum lætitia Divinum, non tam uteri, qvàm ingenij Partū explicat, quem priùs ex DEO, quàm homine concepit; Lucina stupet, cogitat, quâ manu recipere, quibûs fascîjs SENSVM debeat ligare? Sed quid Deá cunctabunda hæres? VERBVM in carne novisti, SENSū VERBI extra corpus esse supponis? Si gravē SENSVM in levi corpore THOMā ferre non potes? vel nescis? de Cerebro Jovis exivit Minerva, succurret. Ita est: vi & virtute unita Deæ curam habent. Hæc ex Avorū Atavorumq; Curulibus cunas; Illa ex lauris virentibus parat. Hæc de Comitibus Filio molles supponit plumas; Illa futuro Prædicatorum Doctori flores Eloquentiæ sternit. Hæc Infantem Aquîs Gentilitîjs; Illa fluentibûs ex dulci Hippocrene undîs lavat. Hæc aureîs stringit dilectum Pusionem fascîjs; Illa doctis librorum folijs involvit. Vtraq; intra cordis amplexum nutri-

ci

ci porrigit THOMAM; ſed pendulus ab uberibus, vix dejectô in terram oculô Marianum Ave paginæ impreſſum conſpicit, rumpit faſcias, abijcit crepundia, contemnit verborum lenocinia, totus in terram proruit; ut humilis SENSVS altum Cæli Arcanum capere poſſit. Subſiſte magne Puſio, quid agis? time, time Puer, Virga eſt de radice Jeſſe, quã petis: expaveſce in ductu aquarum Tuarum advenientis procellam Maris, ne ſubmergaris. Tremulus eſt THOMAS, ſed tamen audet: attendite nutrices, Infans ad Puteum toto reptat niſu, occurrite, date crepundia Puero, mendaci riſu, verum mitigate fletum, jucunda rerum varietate oblectate. Sed non audit ſvavia nutricum blandimenta, cum lucta & luctu impatiens moræ, Cauſam lætitiæ rapit, hoc eſt in Salutatione Angelica eminentem MARIAM, & vagienti voce pæana canens, ſuis viſceribus inducit. O quantus auſus! Filius MATREM ſuam deglutit? ô prodigium! THOMAS Mare gratiarum. uno hauſtu abſorbet. Angelicæ Infanti literæ ludus ſunt; ſuper

 qui-

quibus Seniles Doctorum conceptus ſudant. Tantillus THOMAS, quòd tanta fecit, debuit. Providus Infans Navem ſibi ex Arbore Vitæ conſtructam, quæ totũ ſalvavit Orbẽ, procuravit, in Aqvis Gentilitijs ne periret. In vaſtiſſimo Vniverſi ambitu profundus ut pateret SENSVS; Turrim Davidicam in ſe locavit; in verecundia ſuæ infantiæ erubeſcens, intaminatam ad ſe traxit Virginem; ut Sole, quô amicta eſt, nuditatem ſuam inveſtiret. Inter homines non homo THOMAS, ſed Angelus; qui Angelicîs vivit ingenîjs: imò & ſupra Angelorum naturam evolavit; qui, dum Librum Generationis, in quo VERBVM Æternũ erat, non guſtavit modò, verùm & devoravit, nihil ſpirat præter VERBI SENSVM. Prodigia hæc dixi, majus enarro: circa THOMAM laborant Numina, cui PATER Cæleſtis dat ingeniũ, Diviniſſimũ PNEVMA infundit lucẽ, MATER VIRGO ſuũ VERBVM concedit; ut totus in SENSVM VERBI mutetur. Humilẽ SENSVM in uno luſtro THOMAM ne quis cogitet; Arbore Conſangvinitatis in excel-

ſos

ſos Caſſini Montis colles ſublimatur. Nec immeritò: Puer corpore THOMAS, ſed animô Gigas, locum Cælis vicinum occupare debet, qui nihil non ſublime docebit, nihil non Cæleſte. Mentem VERBI SENSVS THOMAS ſeqvitur: VERBVM in Monte Calvariæ clamans audivit, ad Montem venit. Venit ſub aliorum diſciplinam, Qui à cunctis innocens habetur. Comparet ad præcepta Alumnus, ſed Magiſter eſſe videtur, qui libros edit. Hæc profunda humilitas, quam totus admiratur Orbis, THOMAM SENSVM elevatiorem reddit. Stat in Monte mente ad DEVM elevatior, qui alto in Cælo quaſi caput tenens, arcana Cæli contemplatur. In terra benedicta, licèt ſemper Præſentiam DEI habet, tamen quærit: quid eſt DEVS? Quinquennis Puer facilè memor DEI eſt, qui & in corde & in ore MATREM Ejus MARIAM portat. Facilè hanc quæſtionem de DEO ediſſerit; cùm SENSVS Divinus ſit, nihil loqui poteſt, niſi DEUM. Hactenus ſub roſa Benedicti latuit THOMAS,

ſed cùm ætatem ingeniô ſuperavit, & Montis amplitudinem exceſſit, in lucem prodit. E Monte Caſſini ad Neapolitanum tranſit Parnaſſum; in quo vix Divinum SENSVM Jovis Supremi Filia Pallas cognoſcit, exultat, & plaudendo cum Muſis Deabus occurrit. Altiùs Caſtalij erumpunt fontes, ac murmure grato hanc ſibi felicitatem gratulantur, quòd in effuſa Parnaſſi umbra, novum experiantur Phæbum; Quem elevati Campaniæ colles, & lauri virentes inflexîs verticibûs adorant. Deſcendit ab alto domeſticus Apollo, & jure debito locum THOMÆ cedit, Iovem futurum præſagiens, ex cujus cerebro verior Minerva proditura eſt. Bonum eſt omen, certumq; augurium: non modò Pallas, ſed novus forſan Helicon producetur. THOMAS Neapolitanam exhauſit Hippocrenen, & vaſtitate ingenij totum complexus Parnaſſum, & jam non in Parnaſſo THOMAS, ſed in THOMA Parnaſſus eſt. Cogitandum Tibi THOMA quid feciſti: quem nec edax rerum tempus movit, tu Neapolitanũ

tol-

tollis Parnaſſum, cùm totum capis. Non time Neapolis, hôc damnô lucraris : Caſtalios fontes ſuîs fecundabit aquîs, Tuū Phæbum Sole illuſtrabit, ſacratiores Muſas beatioremq; reddet Minervam; ſed qvando, ubi, & quomodò vis ſcire? ſeqvere THOMAM. Abit fauſto pede à faſcibus ad facem DOMINICI: imò non leni Favonio, ſed Spiritu vehementi raptus, volat ab hereditaria Dominij ſorte ad paupertatem; ab Atavis Siciliæ & Aragoniæ Regibus ad obedientiam; & ſe ab alto Natalium ſplendore, in religioſas demittit umbras. Quid eſt THOMA? Mundum fugis? qui Tibi favet: an dulcis Mundi voluptas eſt amara? Ita eſt: miſera Orbis ſolatia, periculoſus fortunæ favor; in Coronis timet aculeos, in Purpuris veretur tineas, in hiatu Inſularum expaveſcit voraginem, in Crucibus Præſulum formidat paſſionem. Avertit à Mundo fallaci oculos; illuſtris ei virtute & ſapientiâ Prædicatorum Religio arridet, & placet. Vocalem ſui Nominis famam, jam Religioſo committit ſilentio; jam magnitu-

dinem Domûs Strictâ obſervantiâ coarctat. Non ignoravit adamantem in umbris pulchriùs lucere, & Solem in occaſu majorem eſſe. Candidâ veſte indutus, verecundiâ morum adornatus, creſcit THOMAS & apparet magnificentior, quem humilitas Religioſa in altius ſublimat. Regnum ſibi DEO ſerviens parat; cùm ita, ut regula ſonat, ut ratio Majorum præeſt, compoſitus in modeſtiam SENSVS THOMAS obtemperat. Videt Mundus & invidet felicē THOMÆ ſucceſſum; ideo fraudes ac dolos movet: Dux inſidiarum, qvæ Novercam induit, Mater eſt. Intellexit THOMAS SENSVS, invidioſam artem, quam evitare volens, Lutetiam ſub alio Sole jacentem petit. Felicem ſibi pollicetur tractum, cui Aſtrum DOMINICI ſecurum monſtrat iter, vigil canis prodromus, innocentia comes eſt; ſed contrarium experitur. Vix è cella ſub nudum egreditur Cælum, & jam in ſubortam odiorum incidit tempeſtatem; ex qua duo fulmina gemini Fratres erumpunt, & ſuo impetu SENSVM

THO-

THOMAM confundunt. Fortiùs instant non amantes fratres, ſed amentes belluæ deterrent Viatorem, arcent Cæleſtem ſceleſti, niveo denudant amictu, ponderosîs ligant catenîs, acutîs proſternunt verberibûs, & in ſaxum verſi premunt, nec gravem Fratris gemitum, nec ardentem ſentiunt dolorem. Fruſtra prædones furitis: denudatis THOMAM? celeriùs ibit; proſternitis? à lapſu fortior ſurget; ſi ceciderit, non interram, ſed in Cælum. Verberatis? non concutietis fortitudinem: premitis? non deprimetis animi celſitudinem: alligatis vinculis? non ſolvetis votum. Fratres alloquor, ſed irrito conatu; præ furore in ſcopulos verſi, non audiunt, ſcelus continuant, captum THOMAM carceri includunt. Erraſti Theodora, deviaſtis Fratres; ligatus THOMAS, veſtrum ſuſpendit animum. Corpus in carcere tenetis, quod ipſe THOMAS, & terrenas opes abjecit, ut ſe de toto SENSVM VERBI probaret. Damnatis ad biennales ſpeluncæ noctes, erit extra tenebras, qui ſecum & Solem, & Mundi Lu-

cem habet. In castro Joannis non furorem, sed gratiam percipit SENSVS THOMAS; cui Angeli fame presso, Panem de Navi Institoris subministrant. Et certè, si Angeli penes THOMAM locum sibi fixerunt; THOMAS non in antro, sed in Cælo est. Ridet hìc THOMAS inter lacrymas, exultat inter molestias, triumphat inter vincula; sed hæc palliata miseria est. Frater non caret sororibus, quæ mulcent, ut pungant; quæ flent, ut decipiant; quæ dolent, ut dolos parent; & velut blandæ Sirenes cum dulci cantu aures subintrant, ut cor captivent, vitam eripiant. Nihil est dolosas pati Sorores, MATER Acheronta movet, fortiùs luctandum. Infernalis Sophista sub Virginis specie introducitur, ut SENSVS THOMAS, qui nec carne lubrica, nec mente vaga movetur, in circulum vitiosum inducatur. Cognovit THOMAS artis Stygiæ argumentum, & quod sit ex loco fallaciarum desumptum, peccansq; in materia & in forma, accenso scipione demonstrat, verberando resolvit, & ex igne

libi-

libidinis lacrymarum undas educit. Sic fallacia soluta duro carcere Victorem emittit, quem priùs Cælestes Intelligentiæ baltheô Castitatis ornârunt, & flore Innocentiæ coronârunt. Tantô potitus triumphô, redit in Patriam DOMINICANÆ Religionis; sed unam lauream exile ornamentum videns, pro altera certaturus, mox Agrippinam tendit. Assurgite liligeri Parisiorum Flores, vestra latiùs explicate folia, novam in illis Scientiam SENSVS THOMAS notabit. Flores excito; sed non minori Discipulo Magnus assurgit Albertus, in quo habet Orbis & natura, quod miretur. THOMAS demissè Magistrum petit, Qui supra Magistrum erit; cùm Magistri Caput sine cerebro corrigit, & plantis substernit; ut se demonstret longè altiorem Magistrô. Improbatur quidem à suis Condiscipulis, sed cum laude sua; dum modestiâ Harpocratem agens; bovis nomen audit. Si cæcum agentes Tiresiam bovem vident; illum, cui svave CHRISTI jugum erit; illum, qui ad præsepe sui AGNI stabit, &

 Eun-

Eundem cornutô defendet argumentô; illum, qui meliùs Literariam excolet arenam. Bovem dicitis in Schola Condiſcipuli? ſi vocalem aſſeretis SENSVM, benè concluſiſtis. Nunquam hic tacet SENSVS, ipſô eſt vocalis ſilentiô, de Quo Magni Alberti hoc eſt arbitrum: *Tu mihi non reſpondentis, Sed Doctoris locum obtinere videris.* Vix hæc ſunt de THOMA præſagia, jam in Cathedrà Doctor abſtruſa elucidat, obſcura illuminat, quem Athenæ, Tarentum, Peripatus, Corinthus miratur, imitari vellet, ſi poſſet. Obmuteſcit Ariſtoteles, ſi THOMAS tacet; facilè deſipit, quem ſuîs cogitationibûs non adimplet; obſcurè in umbroſis loquitur Academis, cui ſuam non infundit lucem; cadit in Stoa, & diſſolvitur, quem torque ſuô pectus Angelicum ligante non firmat. Serpunt infra THOMAM ſublimes genij; curſum in ſuis arenis exercere non poſſunt, quos THOMAS non ducit; neſciunt eruditi Scholas docere, qui SENSV Divino THOMA carent. Omnes autem ſapimus, docente THOMA: in ſubtili ejus conceptu

immen-

immensitatem DEI spectamus; ex instructis Ejus articulis meliùs Corpus Christi cognoscimus; in doctis Ejus Capitibus, Sapientiam Æternam scimus. O capacitatem mentis! quâ THOMAS Infinitum DEVM, & cum Eo omnes Ecclesiæ Doctores comprehendit. In svavitate verborum, habet THOMAS dulcedinem Ambrosij; in summa Theologica, claudit magnitudinem GEORGII; in filis argumentorum, tenet soliditatem Hieronymi; in aureo stylo, pretium & acumen Augustini servat. Subtilitate ingenij Cælum & terram occupavit THOMAS; quem nontantùm universa Mundi Lycæa colunt, sed Princeps Apostolorum PETRVS, & Doctor Gentium PAULUS de Cælo descendit, ac Ei assistit. Certat uterq; pro gloria THOMÆ; laborat PETRVS; dum in Claustro AQVINATIS, arcana Scientiarum clavibûs suîs aperit: sudat PAVLVS, cùm nodos gladiô scindit. Quotquot obijcit nunc difficultates Hæresis, SENSVS THOMAS facilitat; quotquot proponit quæstiones, unô VERBO, quia

Æternô ſolvit, & ſolvendo firmat Eccleſiam. Bucerumq; ita ſtringit; ut immani exclamet rictu. *Tolle THOMAM, & diſſipabo Eccleſiam.* Quid ad hæc THOMAS? ad Regiam menſam reſpondet: *concluſum eſt contra Manichæos.* Hæc Inferni monſtra nervoſum SENSVM THOMAM ſenſerunt, & graviter more Gigantum ingemuerunt; quòd unus omnium nomen confudit, ac ſuîs literís obliteravit. Per Tractatus THOMÆ, ſtetit pax militanti Eccleſiæ; per docta Ejus Compendia, ampliata Fides, ſublata eſt ſecta, quâ Orbis totus in varias opiniones ſecabatur. Huc adeſte Theologi! ad Mentem THOMÆ ſapere oportet; Quem VERBVM in Cathedra Crucis vobis commendat, & ſuum eſſe confirmat SENSVM. *bene ſcripſiſti de Me THOMA.* O felix bene! o tantum bene! ex ore Sum̃i Boni non audiretur, eſſet in terra cenſor, ni THOMAS SENSVS VERBI Æterni probaretur. Venit tandem neceſſitas, quæ ad Lugdunenſe Concilium traxit THOMAM; ut dubia, quæ mens non potuit humana, Divinus SENSVS enodaret. Abijt veloci paſſu,

ſed

ſed in Foſſa nova forſan erravit; cùm letaliter cecidit in ejus altum. Felix error, qui ab umbris fatalibus ad Lucem Æternam duxit; glorioſa clades, quæ à terra in Cælum ſublimavit. Reddiderunt fata, quod debuerunt: SENSVS VERBI Æterni THOMAS erat, VERBO relatus.

Ego jam reverenter taceo, cùm Sanctior teſtatur vita, & VERBVM Æternum loquitur SENSVM eſſe THOMAM, ad cujus laudes ultra quidem cum humili ſtylo ſerpere vellem, ſed timeo; ne agens vigilias DOMINICI canis, contra me indignum Oratorem excitetur. Ad Te redeo Sacratiſſime Prædicatorum Ordo, ad quem me candor Academicus & virtus Thomiſtica trahit. Sub roſa Te relinquere neſcio, qui Tua magnitudine totũ excedis Orbẽ: nec Tacitus à Te recedere poſſum, dum imbelli Oratori elevatæ DOMINICI manus laudis argumentũ porrigunt. Vis ſub alto manere ſilentio? ſed Tua vocalis fama, ora, & prodigia loquvntur. In Sanctis umbris latere nequis; quem Aſtrũ Patriarchæ, & Phæbus THOMÆ ſupra alios eminere facit. Dant tibi

elogium Cathedræ, ſangvis Martyrum Nomen Faſtis perennibus inſcribit; candor in niveo habitu, Cæli Te Candidatum monſtrat. Felix eſt & ſatis dives Tua paupertas, quam Pontificum Triregia, Cardinalium Purpuræ, Archipræſulum Tiaræ, Præſulum Inſulæ, Doctoralesq; Mitræ adornant. Altam in Te humilitatem quis non ſtupet? dum ſubes arcano Superũ arbitrio, imperare videris; à cujus SENSU THOMA ſparſæ Orbe toto gentes dependent. Firmaſti Orbẽ Tuâ ſcientiâ Diviniſſime THOMA; ſed motu ſuo inconſtans ſæpe in cogitationes dividitur, ne diſſipetur, diviſum componere nunquam ſinas. Gravatam meritîs ac ſeniô Matrem Univerſitatem Cracovienſem ſemper protege, defende, adjuva; Tuus Illi ſine occaſu luceat Phæbus, ut Te feliciùs longo ſæculorum tractu, SENSVM VERBI Æterni ſeqvatur, Quem ego

D I X I.